



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Magvntino Archiepiscopo, & Episcopo Herbipolensi, & Abbati Fuldensi  
Herbipolensis diocesis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

dam duximus & monendam quatenus diligenter efficias ut quod à nobis rationabiliter est provisum, efficaciter impleatur, non permittens ut quisquam difficultatem ingerat vel impedimentum opponat, universis rebus dicti Episcopi & Ecclesie sue, quas, prout asseritur, detines, eidem sine difficultate qualibet restituis. Datum Laterani Idibus Novembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

MAGYNTINO ARCHIEPISCOPO,  
& Episcopo Herbipolensi, & Abbati  
Fuldensi Herbipolensi diocesis.

Epist. 119.  
De eadem re.

Quantumcunque sit detestabile illud horribile facinus quod &c. *ut in alia per totum usque* quamquam in comitatu fuerint carissimi in Christo filij nostri Ottonis illustris Romanorum Imperatoris cum ad nos coronandus accessit, in nostra tamen presentia contra dictum Episcopum comparere per se vel responsales idoneos &c. *ut in alia usque cautelam*, discretioni vestre presentium auctoritate precipiendo mandamus quatenus in statum pristinum revocetis quicquid contra saepertatum Episcopum &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* culpabilis coram vobis fuerit comprobatus, ab omni eum officio & beneficio ecclesiastico sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo deponatis &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque* compescendo. Quod si non omnes &c. Datum ut in alia.

SALZBURGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 120.  
De eadem re.

Quantumcunque sit detestabile illud &c. *ut in alia usque* judicari. Cum igitur dilectus filius nobilis vir Dux Austriae quaedam bona ipsius & Ecclesie sue occasione hujusmodi detineat, sicut dicitur, occupata, eundem nobilem rogamus attentius & monemus per apostolica sibi scripta mandantes ut bona ipsa cum fructibus medio tempore perceptis ex eis dicto Episcopo vel ejus nuntio sine qualibet difficultate restituere non postponat. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta precipiendo mandamus quatenus si dictus Dux quod mandamus neglexerit adimplere, tu eum ad id per excommunicationis sententiam in personam & interdicti, si opus fuerit, in terram suam appellatione remota compellas. Datum Laterani &c. ut in alia.



NOBILI VIRO DVCI AVSTRIÆ.

Quantumcunque sit detestabile illud facinus &c. *ut in alia usque* judicari. Cum igitur quaedam bona ipsius & Ecclesie sue occasione hujusmodi detineas, sicut dicitur, occupata, nobilitatem tuam rogamus attentius & monemus, per apostolica tibi scripta precipiendo mandantes quatenus bona ipsa cum fructibus medio tempore perceptis ex eis dicto Episcopo vel ejus nuntio sine difficultate qualibet restituere non postponas. Alioquin venerabili fratri nostro Salzburgenfi Archiepiscopo nostris damus litteris in preceptis ut te ad id per excommunicationis sententiam in personam & interdicti, si opus fuerit, in terram tuam appellatione remota compellat. Datum Laterani Idibus Novemb. pontificatus nostri anno duodecimo.

NOBILI VIRO SIMONI  
de Monteforti, Comiti Lecestrie,  
Vicecomiti Biterrensi.

Abuisse bajulos dominici verbi fidei ad sinapis evangelicæ quantitatem felix tuae translationis promotionis ostendit, dum nominationis tuæ non solum sed & denominationis vocabula bonis interpretatus operibus, in auditu auris obedienti secundum nomen tuum in locum peregrinationis exire, ac sicut mons infirmas partes Ecclesie muniturus, ad verbum prædicatorum fidelium es translatus, ut tuæ denominationis deludendo vocabulis in bello Domini fortis esses, pugnandoque cum ministris antiqui serpentis, atrum hereticorum atrium à forti dudum custoditum armato fortior superveniens de ipsius erueres potestate, & non solum ejus spolia distribueres, verum etiam arma in quibus confidebat auferres. Hujus itaque considerationis obtentu, cum in manibus tuis & aliorum fortium quos in sanctum exercitum congregatos zelus Domini contra fidei subversores armavit necnon etiam Legatorum nostrorum Carcallonensem & Biterrensem civitates ac alias hereticorum terras mirabiliter altissimus tradidisset, Principes ejusdem exercitus cum præfatorum Legatorum consilio tuo ipsas regimini commiserunt, sperantes in Domino quod per providentiam tuam omnis ab ea debeat hæreticæ pravitatis eliminari spurcitia & ibidem salubriter reformari puritatis catholice disciplina. Nos igitur quod ab ipsis pie ac provide factum est ratum & gratum habentes, civitates & terras ipsas,